

apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, nec non et libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationaliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti privilegio communimus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine Dominicæ ultioni subjaceat. Cunctis autem oidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

PAC MECUM DOMINE SIGNUM IN BONUM.

Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Octavianus Ostiensis et Velletriensis episcopus.

Data Romæ apud Sanctum Petrum . . . Cancellarii vicem gerentis iv. Non. Maii, indictione prima, Incarnationis Dominicæ anno 1198, pontificatus...

V.

Ad abbatem et fratres Cluniacenses. — Confirmatio de Mercurii curte.

(Anno 1198. Romæ ap. S. Petrum, Maii 4.)

[*Bibliotheca Cluniac., 1497.*]

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Cluniacensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut vel per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, grangiam de Mercurii curte, quam dilectus filius nobilis vir Theobaldus comes

(50) Ranulfi, Aureliacensis abbatis, antecessorem Petrum V, usque ad annum 1195, ex instrumentis memorant *Gallix Christianæ novæ* auctores, tom. II, col. 444. Quo anno regimen auspicatus fuerit ipse Ranulfus, ignoravisse videntur, cum de eo pauca hæc tantummodo referantur :

« XXII. Ranulfus dicitur mortuus anno 1203, quod minime inficior : Sane Geraldus, successor,

A Trecensis cum omnibus pertinentiis suis vobis charitative concessit, sicut eam juste ac sine controversia possidetis, vobis et per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, iv Nonas Maii, pontificatus nostri anno primo.

VI.

Ad magistrum et fratres domus Dei Pruviniensis. — Præbendæ in ecclesia S. Quiriaci possessionem ipsis confirmat.

(Anno 1198. Romæ, ap. S. Petrum, Maii 11.)
[Ad fidem Apographi quod ex Archivio Hospitalis Pruviniensis transcriptum, in chartophylacio nostro repositum est, cum ista notula : « Collationné à l'Original en parchemin de huit pouces quatre lignes de largeur, sur sept pouces de hauteur, le replis du bas non compris, par moi soussigné; à Provins, ce 3 janvier 1785. S. D. Balthelemi. »

« Le sceau, en plomb, attaché avec des fils de soie rouge et jaune, porte, sur un côté, en lettres initiales : INNOCENTIUS PP. III; de l'autre, les chefs de S. Pierre et de S. Paul, avec ces lettres au-dessus : S. P. A. S. P. E. » BRÉQUIGNY, *ibid.*]

Justis petentium desideriis dignum est nos facile præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris petitionibus grato concurrentes assensu, præbendam quam in ecclesia Sancti Quiriaci habetis, cum minutis portionibus panis, vini et denariorum, omnibusque ad eam spectantibus, sicut ea juste ac pacifice possidetis, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, v Idus Maii, pontificatus nostri anno primo.

VII.

D *Ad Ranulfum (50), abbatem Aureliacensis monasterii, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. — Confirmat eis bona et possessiones.*

(Anno 1198. Romæ, ap. S. Petrum, Maii 13.)
[*Ibid.* Ex Apographo quod repositum est in charto-

jam præerat anno 1204. At, Ranulfum præfuisse per annos 22, falsum demonstrant superius dicta de Petro V. Jacere legitur in Sacello S. Magdalene. »

Ranulfum jam ab anno 1198 abbatiale pedum tenuisse, ex hac nostra Innocentii PP. III Epistola evincitur.